



DIESEN

1604



00
/A
0020

+



DISPV TATIO BIBLICA

IN DANIELEM προλεγομένη, in qua

4. quæstiones excutiuntur.

I. *An liber Danielis, eiusq; Commentarius
Apocalypsis Iohannis, sit Canonicus.*

II. *De additamentis Danielis.*

III. *De opinione Porphyrij.*

IV. *De persona Danielis.*

ad privatam συζητησιν proposita

á

SALOMONE GESNERO, S. S.

THEOLOGIAE D. ET PROFES-

sore in Academ. VViteberg.

Respondebit autem Deo auxiliante, ad

diem 11. Martij, Anno 1601.

M. CASPARVS PRELLER

Boleslaviensis Silesius.



VVITEBERGAE,

Excudebat VVolfgangus Meisnerus,

Impens. Clementis Bergeri,



CLARISSIMIS ET PRV-
DENTISSIMIS VIRIS, Dn. M. THOMAE
HEINISIO, Syndico & Consuli, Dn. PAVLO
HANNEVALDO, Proconsuli, cæterisq; inclytæ Rei
publicæ Boleslaviensium Senatoribus, Dominis
& Patronis suis perpetua observantia
colendis;

Hanc disputationem Theologicam debitæ
observantiæ & gratitudinis ergò reveren-
ter & demissè offert;

*M. Casparus Preller, Boleslaviensis
Silesius.*



Questio prima, an liber Danielis
sit Canonicus.

Thesis I.

Verissimum est, Canonem, à quo libri vocantur
Canonici, ab apocryphis distincti, esse infallibi-
le testimonium, ab ipso Deo profectum, singula-
rique eius attestazione confirmatum, & autho-
rum ac Ecclesie ministerio posteritati traditum,
quo certi reddimur, libros eos, qui sunt in Canone, à Spiritu
sancto Prophetis & Apostolis, ipsiq; qui divinum testimonium
habent, quod in fundamento doctrinae non erraverint, in-
spiratos & dictatos esse, 2. Pet. 1. 1. Tim. 2.

II.

Nam libri sacri commodè in tres classes distribuuntur, ut
in prima ponantur verè Canonici, qui sunt ἀναμφιλέκτως
ἐνδιάδικτοι, γνήσιοι, καὶ ἄνευ ἀντιλογίας θεόπνευστοι, in secunda
scripta ἀγιογραφα & ἀντιλεγόμενα, in tertia deniq; νόδα, & à
futoribus fabularum, ut loquitur Augustinus, supposita & spu-
ria. Eusebius hist. Eccles. lib. 3. cap. 3. & 25.

III.

Citra omnem porro dubitationem Canonicos esse libros
Veteris Testamenti, qui in Laodiceno Concilio, quod post
mortem Ioviniani Imperatoris, circa annum Domini 368.
celebratum est, annis 43. post Nicenum, cum Liberius adhuc
esset Romanae Ecclesie Episcopus, qui Constantio se mascule
opposuit apud Theodoretum lib. 2. cap. 16, Canonici pro-
nunciati sunt, res ipsa de singulis loquitur.

IV.

Sunt autem libri in Concilio enumerati isti, Genesis, Exo-
dus, Leviticus, Numeri, Deuteronomion, Iesus Nave, Iudicum,
Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo,
Esdræ, liber Psalmorum numero 150 Proverbia Salomonis,
Ecclesiastes, Cantica canticorum, Iob, Hester, Duodecim
Prophetarum libri, id est, Oseas, Amos, Ioel, Abdias, Ionas,
Michæas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias,
A 2 Mala-

*Qui libri V. Testam.
sunt canonici.*

Malachias, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, vide Epit.
Concil. tom. 1. fol. 246.

V.

Ex quo Catalogo apparet, Daniele inter Canonica scripta numerari, cum quo etiam consentit Meliton vetustissimus Sardenſis Eccleſiæ episcopus, apud Eusebium lib. 4. hist. Eccles. cap. 25. & Eusebius ipse lib. 6. hist. cap. 24. ubi Catalogum librorum Canonicoꝝ ex Origine commemorat, Hilarius item in præfatione Psalmorum, Epiphanius lib. 1. tom. 1. hæc. 8. & in libro de mensuris ac ponderibus, Hieronymus in epistola ad Paulinum, Gregorius Nazianzenus libro ad Monachos Cœnobitas.

VI.

Iudæi tamen Danielis volumen inter Cætophim, id est ἀγιόγραφα, retulerunt, de quibus perhibent, eos libros ab Esdra, cum senatu Seniorum Synagogæ, post reditum è Babylone concinnatos esse: ex quo sequeretur minorem esse Danielis auctoritatem, quàm Moſis & Prophetarum, seu cæterorum Canonicoꝝ librorum.

VII.

Nam ut Hieronymus in prologo Danielis ait, ab Hebræis omnis scriptura in tres partes dividitur, in Legem, quam vocant Thora, in prophetas, quos appellant Nebijm, & deniq; in hagiographa, & Daniele quidem cum Psalmis, Proverbijis, Iobo, Cantico, Ruth, threnis, ecclesiaste, Esther, Esra, Nehemia, paralipomenis, in postrema hac classe collocant.

VIII.

Quòd autem hoc sit figmentum Rabinorum, evidentissimis constat rationibus. Et primò quidem ipsius Dei per cœlestem nuncium ad Daniele infallibili testimonio. Nam cap. 12. v. 4. iubetur Daniel ab angelo claudere sermones, & signare librum usque ad statutum tempus, & mox versu 9. subjicitur, clausi signatiq; sunt sermones usque ad præfinitum tempus. Daniel proinde, ut iussus fuerat, librum conscripsit, & diligenter asservavit.

IX.

Æternus porrò Pater Canonicam auctoritatem Danieli at-

li attribuit, cum Ezech: 14. v. 14. preces eius summopere com-
mendat: illæ verò quales fuerint, sciri aliunde, quàm ex librè
eius cap. 2. 6. 9. &c. non potest.

X.

Idem etiam æternus Dei filius, salvator noster Iesus Chri-
stus in novo Testamento comprobatur, cum Matth. 24. & Mar-
ci 13. 14. Danielis vaticinium de abominatione desolatio-
nis, Daniel. cap. 9. 27, descriptum nos legere & diligenter at-
tendere iubet; quod nequaquam facturum fuisset, nisi liber ille
Canonicus esset. Apocryphos enim nullibi Christus com-
mendavit.

XI.

Quin & Spiritus sanctus cum apud Ezechielem cap. 28.
Danielis sapientiam supra aliorum hominum sortem longissi-
mè attollit, nihil aliud facit, quàm quòd librum eius, utpote
sine quo Danielis sapientia incognita esset, tanquam Cano-
nicum commendat.

XII.

Accedit Apostoli Pauli suffragium, qui in 2. Thes. 2. An-
tichristum descripturus res & verba è capite 12. Danielis mu-
tuatur.

XIII.

Sicut etiam Salvator Iohannis 5. eos qui in novissimo die
à mortuis resurgent, iisdem verbis in duos ordines dispescit,
quibus Daniel cap. 12. quod nimirum omnes, qui sunt in mo-
numentis, resurrecturi sint, hi quidem ad vitam æternam, illi
verò ad iudicium & ignominiam æternam.

XIII.

Apocalypsis deniq; Iohannis cui perverso iudicio Diony-
sius Alexandrinus grammaticis quibusdam ratiunculis, Cano-
nicam auctoritatem adimere conatus est, cum contra Nepo-
tem Chiliasten τὴν δέσιν φυλάττων longius, quàm par erat, dis-
putando progrediretur, apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 23.
24, ea inquam, nihil est aliud, quàm visionum Danielis, quæ
ad Ecclesiam novi Testamenti, & potissimum postremi tem-
poris pertinent, luculenta declaratio, quæ etiam per Danie-
lem capite 12. Ecclesiæ promissa fuerat.

XV.

Apocalypsi autem Iohannis Canonicam auctoritatem mul-
ta tribuunt, verbi gratia 1. ἐπιγραφή multò etiam luculentior,
quàm

A 3



quam in alijs novi Testamenti libris de quorum tamen auctoritate non dubitatur. 2. Circumstantia loci & temporis quod edita in Pathmo, sub Domitiano. 3. Character, quo Iohanni peculiare est filium Dei nominare λόγον Ioh. 1. 1. Ioh. 1. Apocalypf. 19. 4. Eventus, quo pleræq; visiones jam sunt comprobatae, 5. promissio Danieli facta, de explicatione durationis Antichristianæ Idolatriæ & dominationis, tradita Dan. 12. & præstita Apoc. 11. 12, 13, 17. &c. 6. Necessitas Ecclesiæ, siquidem deterior alioquin futura fuisset Ecclesiæ novi Testamenti conditio, quam veteris, si nullo Canonorum oraculorum scripto sub horrendis Antichristi tenebris instructa esset. 7. Scripti sublimitas, quæ nulli ex omni numero vetustissimorum Patrum, imò nulli angelorum vel hominum ob futurorum prædictionem, quæ maxima parte iam evenerunt attribui potest, Esa. 41. Eccles. 7. 8. Testimonium antiquissimæ antiquitatis ante Dionysium ἀντιλέγοντα, utpote Dionysij Areopag. cap. 3. Hier. eccles: Iustini martyris in Tryph. Irenæi lib. 5. cap. 25. Melitonis Episcopi Sardensis, apud Euseb. lib. 4. cap. 25. Theophili Antiocheni apud eundem lib. 4. c. 23.

XVI.

Ex his itaq; certum est Danielis librum verè esse Canonicum. Loquimur autem de ijs Capitibus Danielis, quæ in Hebraicis Biblijs continentur.

*Questio secunda, de additamentis
Danielis.*

Thesis I.

Nam precatio Asariæ, & hymnus trium puerorum in fornace Babylonica cap. 3. historia item Susannæ cap. 13. & Bel, Draconis, Chabacuci, cap. 14. in latinis & græcis Codicibus citra controversiam, sunt apocrypha & supposititia.

II.

Quæ enim in Hebræo Canone non reperiuntur, illæ nec à Græcis nec à Latinis, qui longo post demum tempore sacram scripturam in sua lingua sunt adepti, Canonis jus accipere potuerunt. Cum Canonem non à posterioribus antecessores,

fores, sed ab antecessoribus posteriores, & illi ab ipsis authoribus librorum, Deoq; ipso acceperint.

III.

Sigillatim autem, quod ad precationem Asariae & $\delta\omega\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\nu$ trium Iuvenum attinet, quae capite tertio continentur in latinis & graecis Exemplaribus, etsi illae partes nihil habent ab Analogia fidei discrepans, sed potius pulcerrimam precandi & Deum celebrandi formulam nobis praescribunt, nihilominus reliquo Danielis textui pares censi nequeunt, eod quod vel hebraice vel chaldaice, ut caetera in Daniele omnia, non extant.

IV.

Id equidem dubio caret, Iuvenes in fornace precatos esse, & cum Angelum vel ipsum potius Dei filium haberent $\pi\alpha\rho\alpha\sigma\acute{\alpha}\tau\eta\nu$, non vulgari modo, sed excellenti usos: utrum tamen hac ipsa formula, id incertum: neq; interim improbanda pii & religiosi hominis (qui cunque ille fuerit) industria, qui utrumq; concinnavit.

V.

Ac merè Iudaicum petulansq; censi debet convitium, quod Hieronymus à Iudæo se audivisse scribit, qui riserit, tantum fuisse octi tribus pueris, ut in camino aestuantis incendi metro luderent, & per ordinem ad laudem Dei omnia provocarent Elementa.

VI.

Narrationem de Susanna esse Drama poëticū, ab ingenioso quodam confictum & pudicitiae commendandae causa compositum, non autem veram biblicam historiam aliquot rationibus constat.

VII.

Principio enim non congruit aetas Danielis. Nam historia Susannae sub Astyage, (qui procul dubio est Darius Astyagis filius, utpote cui immediatè Cyrus successit) evenisse perhibetur, Dan. 13. 64. Fuerat tum Daniel in Babylónico exilio annos septuaginta quinque. Quandoquidem anno octavo Nebucadnesaris Hierosolymā Babylonem una cum Iechonia & alijs abductus est, Dan. 1. 1. 2. Reg. 24, & sub Nebucadnesare annos 36. vixit: post Nebucadnesarem autem regnavit Evilmerodach filius annos 37, ut ex collatione locorum, 2. Paral. 36. 21. 22. Jer. 27. 7. & 52. 31. apparet, & post hunc Balthassar annis tribus, à quo Monarchia ad Darium Astyagis filium pervenit. Dan. 5. 30, 6. 1.

VIII. Vnde

VIII.

Vnde liquet, Danielelem, si vel maximè puer Babylonem venisset, tempore nihilominus Darij Aftyagis supra octuaginta annos habuisse. Quomodo autem cum hac Chronologia, quæ verissima est, consentit, quod in Dramate Susannæ Daniel vocatur *παῖς ἄριστος νεώτερον*, puellus parvulus? Dan. 13. 42.

IX.

Deinde, Danielelem non usq; adeò puellum fuisse, cum Babylonem veniret, dupliciter constat: primò quod Danielis cap. 1. Asphenez præfectus Nebucadnezaris jussu regis quaerit juvenes eruditos omni sapientia, cautos scientia, doctos disciplina, qui exacto triennio sub institutione Chaldæorum regalibus ministerijs præficerentur: inter eos autem præcipuus est Daniel, qui etiam finita triennali periodo, in palatium Regis, ad officium publicum adscitus est.

X.

Adhæc Daniel gravissimis Dei viris Noæh & Iobo ab Ezechiele cap. 14, anno post abitum in exilium quinto, annumeratur, filijq; & filia & sollicitudo summa pro Republica & Ecclesiâ illi tribuitur: quæ certè non juvenili, nedum puerili, ætati competunt.

XI.

Altera ratio à Magistratus & judicij Iudæorum conditione sumitur. Danielis .n. cap. 13. Magistratus Iudæorū & judicium ita describitur, quasi Iudæi jurisdictionem habuissent in capitalibus & criminalibus, & Susannam juxta Legem Mosaicam coram suis Iudicibus accusassent, duosq; senes supplicio affecissent. Caruisse autem Iudæos *αὐτονομία*, id est, suarum Legum & Jurisdictionis exercitio, usq; ad initium septuaginta hebdomadum, quod in septimum annum Darij Longimani incidit, ex Esdræ cap. 7. & threnis Ieremiæ manifestum est. Nam toto exilij Babylonici tempore, non minus quàm sub Romanis, eos dicere oportuit: nobis non licet quenquam interficere, Ioh. 18.

XII.

Tertium Argumentum suppeditat oratio Danielis pueri, quæ non caret affectu humano & *προσωποληψία*. Nam, inter alia duos seniores accusat, quod filias de familijs Israëliticis suæ libidini obsequentes habuerint, Susannam autem, utpote de

tè de

tè de tribu Iuda ortam minimè, quibus verbis adolescens vir-
gines Iudæ continentiores & castitatis observantiores facie
cæteris. Deus autem ad incolas urbis Ierosolymæ Babylonem
abductos ita ait Ezech. 16. 51, Samaria dimidium peccatorum
tuorū non peccavit, sed vicisti eas sceleribus tuis, et justificasti
sorores tuas, in omnibus abominationibus tuis, quas operata
es. Et eandē accusationem, qua tribus Iuda, quoad peccata in
primam & secundam tabulam, cæteris tribubus, quæ Israëli-
cæ vocabantur, vel præfertur vel exæquatur, Spiritus sanctus
cap. 22. & 23. apud Ezechielem repetit.

XIII.

Postremum argumentum exhibet illa poëtica allusio in
arborum appellationibus. Cum enim unus veteratorum no-
minasset $\chi\iota\nu\upsilon\nu$ arborem, sub qua Susannam vidisset libidini
inservientem, infert Daniel, Angelus Domini $\chi\iota\sigma\epsilon\iota\sigma\epsilon\ \mu\epsilon\sigma\upsilon\nu$,
et cum alter appellasset $\pi\sigma\iota\nu\upsilon\nu$, respondet puer, angelus Domini
habet gladium $\pi\sigma\iota\sigma\alpha\ \sigma\epsilon\ \mu\epsilon\sigma\upsilon\nu$. Etymologias autem has græ-
ci esse sermonis cum res ipsa tum etiam Hieronymus testatur,
qui verissimè quoq; asserit, eiusmodi allusiones, neq; in he-
bræa neq; in chaldaica lingua, qua Daniel usus est, locum ha-
bere, id quod etiam Origenes affirmat.

XIV.

Narrationem de Belo & Dracone eodem censu apocry-
phorum venire, vel ex ista ratione constat, quod in ea Cy-
rus fingitur Idololatra post obitum Astyagis. Astyages au-
tem procul dubio est Darius Astyagis filius; cum eo enim
Cyrus biennium monarchiam Persicam administravit, &
cum gener esset Darij, eidem solus in Imperio successit, 2. Par.
36. 1. Esdr. 1. 1. Dan. 9.

XV.

Cum autem Daniel vivo adhuc Dario, illustri illa li-
beratione ex ore Leonum inclaruerit, eamque ob causam
Darius publico diplomate universi Imperij sui incolis præce-
perit, Deum Danielis colere, Dan. 6. ne verissimile quidem
est, vel Cyrum Imperatoris generum, post mortem usq; Darij,
in tam horrenda Idololatria perseverasse, vel Danielis famā
ex ea demum occasione publicè innotuisse.

B

XVI. Ac



XVI.

Ac cum 2. Par. 36. & 1. Esd. 1. scribatur, Cyrum primò statim anno Imperij sui Iudæos libertate donasse, & ad reparandum templum in patriam dimisisse, non equidem silentio transiurus fuisset ibidem Spiritus sanctus hanc ἀφορμὴν tam insignem, si illa unquam contigisset, quòd nimirum Cyrus patefacta fraude sacerdotum Beli, & interemto Dracone, ad veri Dei agnitionem conversus fuisset.

XVII.

Idem planè iudicium est de additamento Chabacucum concernente. Alium enim Prophetam Chabacuc, quàm cuius conciones extant, ignoramus: eum autem tempore Manassis vixisse, & proinde ætatem destructæ urbis non attigisse, ex ipsius libri cum historia Manassis 2. Reg. 21. collatione patet.

XVIII.

Chabacuc itaque sexaginta annis circiter, Danielis in Babylonem deportationem, & hac ratione, 135 annis Danielis in lacu Leonis captivitatem, quæ tempore Cyri facta perhibetur, antecessit. Sed de hisce apocryhis hætenus.

Questio tertia, quid de Porphyrij obiectione sit sentiendum.

Thesis I.

Supra demonstratum est Dei ipsius & Danielis, itemque Ezechielis testimonio, librum præsentem verè esse Canonicum, hoc est, divinitus Danieli inspiratum; restat igitur ut Porphyrij calumniam diluamus.

II.

Nam Porphyrius, quem Suidas à patria & insolentia Tyrium regem appellat, tempore Aureliani usque ad Diocletianum vixit, & Christianam religionem variè insectatus est, interque alia Danielis volumen arguit, quod non à Daniele Propheta, sed ab alio aliquo recentiore, tempore Ptolomæi Epiphaniis, confectum esset. Referunt hoc Hieronymus, Eusebius & alij.

III. Ratio

III.

Rationem autem suæ opinionis iisdem testibus nullam adduxit aliam, quàm quòd vaticiniorū, de quatuor Monarchiis, deque regnis Syriæ & Ægypti, tantam perspicuitatem homo ethnicus & apostata impius non futurorum prædictioni, sed præteritorum narrationi competere existimavit.

IV.

Quia verò testimonijs omni exceptione maioribus constat, Daniele tempore Nebucadnesaris, Evilmerodachi, Belsaris, Darij & Cyri, Babylone vixisse, & librum hunc conscripsisse, non magnificienda est athei Philosophi cavillatio.

V.

Primis enim quatuor Danielis capitibus anni gubernationis Nebucadnesaris sunt assignati, septimi capitis visio ad primum, & quinti historia, sicut etiã visio octavi, ad ultimum annum Belsaris refertur; quæ sexto & nono continentur primo anno Darij Medi evenerunt; decimum, undecimum, & duodecimum capita ad tertium annum Cyri pertinent.

VI.

Recte proinde Hieronymus rationem Porphyrij in ipsum retorfit, & dixit, Porphyrij impugnationem esse veritatis testimonium. Tanta enim dictorum fides fuit, ut propheta incredulis non futura prædixisse, sed præsentia narrasse videatur. Et quia Danielis vaticinia eventus comprobavit, inde certò constat illa esse *θεόπνευστα*.

Quæstio quarta, de Persona Danielis.

Thesis I.

Cæterum quòd Daniel fuerit ortus è tribu Iuda, è capite ipsius 1. 6, & 2. Reg. 24. 2. Par. 36. manifestum est. Cum enim Salmanasser reliquas tribus Babylonem abduxisset, tandem Nebucadnesar tribum quoq; Iuda in Assyriam transtulit.

II.

Ac tametsi parentes eius non nominantur, attamen Danielis cap. 1. apparet, illum de regia familia originem duxisse. Quandoquidem Asphenes juvenes de regio semine eligit.


III. Vnde:



III.

Vnde Iosephus lib. 10. Antiquit. cap. 11. Danielem eiusq;
socios regis Ezechiae cognatos fuisse perhibet. Et procul
dubio in illis, licet pijs, impletum est, Esaiæ vaticinium 2. Reg.
20, ubi propheta Regi prænunciat, liberos ipsius Assyrio ty-
ranno servituros.

IV.

Danielem Eunuchum fuisse, & cælibem vitam egisse ali-
qui (ut videre est apud Damascenum lib. 4. orth. fid. cap. 25.)
ex eo colligunt, quòd Asphenesus nominatur ἀσφηνεύς, ,
id est, præfectus Eunuchorum, & quòd Esaias ad Ezechiam
Regem 2. Reg. 20. Es. 39. dicit, Filij tui erunt Eunuchi in pa-
latio Regis Babylonis.

V.

Sed argumentum inscitia linguæ laborat. Nam Hebræa
vox Saris & Sarisim, quam Græci per Eunuchos reddiderunt,
non semper castratos & cælibes, sed aulicos ministros etiam
vxoratos significat.

VI.

Verbi gratia Potiphar uxorem habuit, & nihilominus ap-
pellatur Saris, Gen. 37. v. 36. & inter Iudæos prohibitum fuit
castratos & mutilos publicis officijs adhiberi, Deut. 23. Sari-
sim tamen frequenter appellantur Regum in populo Dei mi-
nistri, 2. Reg. 8. 6. Ier. 41. 16. & 34. 19. Thargum eos vocat
Rabrebin, hoc est, principes.


*Deut. 23.
v. 1.*

VII.

Danielem; autem uxoratum fuisse, supra ex Ezech. 14.
ostendimus.

F I N I S.







AB

52

9
5,9

ULB Halle 3
003 140 237



sb.

Wort







DISPV TATIO BIBLICA
IN DANIELEM προλεγομένη, in qua
4. quæstiones excutiuntur.

- I. *An liber Danielis, eiusq[ue] Commentarius
Apocalypsis Iohannis, sit Canonicus.*
- II. *De additamentis Danielis.*
- III. *De opinione Porphyrij.*
- IV. *De persona Danielis.*

ad privatam συζητησιν proposita

SALOMONE GESNERO, S.S.
THEOLOGIAE D. ET PROFES-
sore in Academ. VViteberg.

*Respondebit autem Deo auxiliante, ad
diem 11. Martij. Anno 1601.*

M. CASPARVS PRELLER
Boleslaviensis Silesius.



VVITEBERGAE,
*Excudebat VVolfgangus Meisnerus,
Impens. Clementis Bergeri.*

2a

